Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et collegit ex ea colocynthidas agri. quas concidens in olla pulmenti sui.
cum quis littera legis intentus vel philosophicis disciplinis studiosus pastum
ubi querens amaritudinem litterae legalis vel mortiferum quoddam in phi
losophorum libris inveniens intermiscet veritati evangelicae in olla cordis
sui coquens tale pulmentum. hoc est testamentum praeparat ad refectionem
auditoribus suis. Dicente namque apostolo. Littera occidit. spiritus autem vivificat. Et iterum:
Prudentia inquit carnis mors est. prudentia autem spiritus vita et pax. Hoc
itaque sentientes fideles populi mortem in olla exclamant. cum talem doctri
nam quasi deceptionem animarum detestantes vociferant. Sed iubente heliseo
farina in olla mittitur. cum scientia spiritalis in tale condimentum intromittitur.
ut exclusa omni amaritudine pravitatis pastus inde fidelibus praeparetur
salubris. Vir autem quidam venit de balsalisa deferens viro dei panes primi
tiarum. xx. panes ordeatios. et frumentum novum in pera sua. et reliqua.
Denique vir de balsalisa venire describitur deferens viro dei panes primi
tiarum. vigintique panes ordeatios. et frumentum novum in pera sua. Quem autem
melius virum istum accipere possumus quam coetum sanctorum patrum qui virtute animi
et bonorum operum pollent. Qui bene de balsalisa venisse dicitur. Balsalisa
enim habens testimonium interpretatur. Recte ergo de balsalisa est qui inarium nimium
incredulitate et confessione sanctae trinitatis servat. Hic ergo vir viro
dei panes primitiarum offert. cum redemptori nostro per gratiam eius inspiratos libros
de origine creaturarum compositos. offert. xx. panes ordeatios. hoc est
decalogum legis in moysi et prophetarum scriptis comprehensum. Offert frumentum
novum in pera sua. cum novum testamentum post mediatoris nostri adventum
in sancti evangelii et apostolorum scriptis profert. Iubet ergo heliseus vir ministris suis
sanctis videlicet praedicatoribus ut hanc oblationem populo fidelium dispensent.
id est ut secundum illud evangelii de thesauro suo velut scriba doctus in regno
celorum proferant nova et vetera. quatenus pabulo verbi divini reficiantur.
Quod ministerium in evangelio iterum legimus. cum in fractione. v. panum quinque
milia hominum. et iterum: vii. panum quattuor milia hominum saciata esse